



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Martini Lvtheri Piae Ac Doctae Operationes In Dvas Psalmorvm Decades

Luther, Martin

Basileae

VD16 L 5540

Psallite d[omi]no, qui habitat in Zion, annu[n]ciate inter ge[n]tes studia
eius.

urn:nbn:de:hbz:466:1-37005

oculus non uidit. Quibus Apostolus. j. ad Corinth. ij. addit: Nec in cor hominis ascendunt. & pro expectantibus reddit diligentibus. Nam hi demum uere diligunt deum. qui expectant promissoris ueritatem: Qui uero deficiunt, seiplos potius diligunt. Sic psal. xxvij. Expecta dominum, uiriliter age, confortetur cor tuum, & sustine dominum. In hanc rem multa praelare Ioannes Taulerus in ser. uernaculis. Nam hi sunt recti corde, & cetera, quae pulchre huc Quam bonus deus Israel, his qui recto sunt corde: De quibus psalmo. lxxij. Ierusalem. Rectum enim cor diximus, quod non quaerit quae sua sunt, nec in seipsum deprauatum est. Et huic bonus est dominus, quia ipsi gustant & uident, quoniam suauis est dominus.

Et his duobus nominibus pprie exprimitur conditio Almuth nostrae, id est, absconditae iuuentutis, seu populi noui, in mystico fidei uiuentis, q̄ pauper & tribulatus describitur. Vt enim impios inimicos, famosi nominis, magna potestate & phraex & multa turba in ciuitatibus esse, ac per hoc foris speciosos & apparentes descriperat: Ita e contra, pios oportuit describi contraria sua forma, paupertatis, tribulationis, infirmitatis, ignobilitatis, & tamen huic eodem quod dixit, se mirabilia dei narraturum, gaudens in domino, qui deponit potentes & exaltat humiles. Et humilia respicit in caelo & in terra.

Et sperant in te, qui nouerunt nomen tuum, quoniam non dereliquisti quaerentes te domine.

Quid sit nosse & diligere nomen domini & sperare in eo, abunde psalmo v. dictum est eo uersu: Et gloriabuntur in te omnes, qui diligunt nomen tuum &c. Pertinet autem tam spes, q̄ notitia nominis dei ad formam Almuth depingendam, q̄ uita eius sit in spe abscondita, & nomen suum non agnoscat, gloriatur autem in solo dei nomine, ubi impij in re apparente, & in suo nomine gloriantur.

Hoc autem potest intelligi indicatio futuro dictum: Et sperabunt in te, qui nouerunt &c. ut sit ex praeterito exēplo liberationis, confortatio spei in futura tribulatione. Quo affectu psal. iij. incipit: Cum inuocarem exaudiuit me deus iustitiae mex. in tribulatione dilatasti mihi. ut ibi dictum est. Loquitur enim hic uersus ad consolationem infirmorum, ut sperent in deum omnes qui inuocant nomen eius, uisis tōt eius mirabilibus praeteritis.

Et illud aduersus sensum carnis dicitur: Qm̄ non dereliquisti quaerentes te, ut oportunitatem discat expectare, apparet enim omni sensu deum dereliquisse quaerentes eum: cōtra quas procellas cogitationum, huius uersus rupes est firmata & dicendum eū fiducia: Non dereliquisti quaerētes te domine.

Pfallite dño, qui habitat in Zion, annūciate inter gētes studia eius.

Ecce & hic uersus declarat, quos noie Almuth intellexerit in titulo, nempe reliquias Israel, qui relicta uetere synagoga quae in splendoribus mundi & sanctis secularibus spectabilis erat, per fidem nati sunt in nouum populum, & in uenturam spiritualem, quae ambulet non in pompis ceremonialibus literarum, sed in spiritu nouitatis, sub cruce & passionibus contempta laborans. Hoc mirum indicat, quod habitatori Zion pfallere iubet, & annūciare in gentes studia dei,

studia dei. Nec enim alij prædicauerunt gentibus sacramenta illa dei, nisi
 stoli & alij ex Iudæis conuersi, ut Iſa. ult. prædixit: Et mittam ex eis qui faber
 fuerint ad gentes, in mare, in Aphricam & Lidiam, & fagitarios in Italiam
 Græciam, ad insulas longe, ad eos qui non audierunt de me, nec uiderunt glori-
 am meam, & annuntiabunt gentibus gloriã meã, & adducet fratres ueltra
 de cunctis gentibus &c. Idem ex Mich. v. supra retulimus, de reliquis Iacob
 in medio populorum multorum.

Zion ciuitas Hierusalem. Nec oportet hoc loco Zion allegorico sensu trahere ad Ecclesiã per orbem
 diffusam, sed ipsam ad literam ciuitatẽ Hierusalem (in qua Christus instituit,
 cœpit & perfecit Ecclesiã suam) intelligimus, cum de his loquatur, scilicet
 primitiuis Apostolis & sanctis, qui in monte Zion & Hierusalem habitau-
 runt. De Zion autem, psalmo. ij. dictum est, quomodo Christus cõstitutus sit
Ecclesiã regnum. rex super Zion montem sanctum eius. Non enim fecit & abijt, sed cõstitutus sit
 habitat in Zion, præsentissimus nobis factus. Quod dictum est aduersus Iero-
 uas eorum, qui in hominum facies intẽti, Ecclesiã regnum (quasi Christus in
 triumphante Ecclesiã regnet solum, militãtemq; hominibus reliquerit) pene
 uendicãt humanã temeritati & potentia. Si enim credimus uerum esse quod
 hic dicitur, Christum habitare in Zion, quid tam anxie p nostris iunibus, titu-
 lis ac discordijs tumultuamur? Et cui animas in baptismo in æternum uicturas
 concedimus: Cur corpora & res nostras hominum studijs ita tenemus, robo-
 ramus, tuemur? Verum non credunt istiusmodi Christum in nobis habitare,
 ideo digna incredulitatis mercede donati, traduntur in sensum reprobum, ut
 faciant ea quæ non conueniunt.

Subindicat uero Propheta futurum, ut, desertis Iudæis, Christus in gentes
 prædicaretur, dum inter gentes annuncianda prædicat studia dei. Etiam inci-
 pit eas quoq; passiones & uictorias recensere, quæ fidelibus inter gentes con-
 tingerunt: Ut uidebimus ordine suo.

Studia, quæ hoc loco hebraice מְלִמָּה eolilloth dicuntur, alij opera, alij mi-
 rabilia, alij consilia transfulerunt. Mihi præ omnibus placet, qd nostra transla-
 tio habet, studia, quo generalissimo nomine comprehenduntur, opera, exer-
 citia, negotia cuiusq; hominis, præsertim ea, quæ data opera molit: Vnde non
studia dei in ruinam & resurrectionẽ. inepte studium hebræis simul inuoluit & consilium & opus. Dei itaq; studia,
 sunt proprie opera illa mirabilia quæ consulto facit: Ea sunt quæ diximus, hu-
 miliare superbos & exaltare humiles, conuertere impium retrorsum & refugi-
 um esse pauperi, Hæc quia Iudæi respicerunt & contempserunt, ecce (inquit)
 Act. xij. conuertimur ad gentes. Quæ annunciata & ex gentibus multos con-
 uerterunt & multos offenderunt, utrobicq; enim Christus signum est contradi-
 ctionis, positus in ruinam & resurrectionem multorum.

Quoniam requirens sanguinem, eorum recordatus est, non est
 oblitus clamorem pauperum.

Exponit studia dei clarius, quæ annunciãda docuit, scilicet in consolationem
Deus tardus & redditor. tribulatoꝝ, deus enim tardus est redditor, ut Sapiens dicit Eccles. v. Et mul-
 ta diuitiã bonitatis, patientiã & longanimitatis eius. Apparet neq; requirere
 sanguinem sanctorum, neq; memor esse pauperum suorum. In qua longani-
 mitate opus est, ut his psalmis spiritualibus nos exhortemur.

Et iterum